
EPITOME LIBRI XXVII.

Cn. Fulvius proconsul cum exercitu ab Hannibale ad Herdoneam caesus est. Meliore eventu a Claudio Marcello consule adversus eundem ad Numistronem pugnatum est. Inde Hannibal noctu recessit. Marcellus insecurus est, et subinde cedentem pressit, donec confligeret. Priore pugna Hannibal superior fuit, Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater consul Tarentinos per proditionem recepit. In Hispania ad Baeculam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris conflixit, et vicit. Inter alia captum puerum regalem extremiae formae ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Claudius Marcellus, T. Quinctius Crispinus consules, speculandi causa progressi e castris, insidiis ab Hannibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res praeterea a P. Sulpicio praetore adversus Philippum et Achaeos gestas continet. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum et octo: ex quo numero apparuit, quantum hominum tot proeliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Hasdrubal, qui cum exercitu novo transcendebat Alpes, ut se Hannibali coniungeret, cum millibus hominum quinquaginta sex caesus est, M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis. Qui, quum Hannibali oppositus esset, relicitis castris, ita ut hostem falieret, cum electa manu profectus, Hasdrubalem circumvenit.
